



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 6. In Bauariâ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 4. *In Leodiensi agro.*

Apud Tungros (*in Leodiensi agro*) dicunt aquas venenatis aduersari, cuius rei signum, quod si in eas mittantur serpentes intereunt illicò, cùm tamen innoxix sint canibus, & aliis animantibus. *Andreas Baccius de aquis lib. 3. cap. 3.*

In Agro Leodiensi Souenia fons, non procul à castro Francimontio, tertianis est, & hydropi salutaris. *Hubertus Thomas Leodiensis.*

Apud Tungros fons est insignis (hodie *les eaux de Spa*) plurimis bullis stillans ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur: purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem igne admoto turbida fit, postmodum rubescit. *Plinius lib. 31. cap. 2. & Dalecampius in hunc locum qui notat perdurare miraculum.*

§. 5. *Sueuia.*

SVNT Mattiaci in Germaniâ fontes calidi trans Rhenum (hodie peritioribus *Baden*) quorum hauustus triduo feruet: circa marginem verò terra in pumicem concrefcit. *Plinius lib. 31. cap. 2.*

Circa Danubij exortum pisces nigri illicò gustantibus mortem afferunt. *Plinius lib. 31. cap. 2. & And. Baccius lib. 1. cap. 9. idem afferit.*

In Sueuiâ lacus, in quem si retia immittantur altiùs (nam in superficie nihil damni patiuntur) sic aduruntur, non secus ac si flammâ forent afflata. *Seuerinus Gobelius in suâ historiâ Sueuicâ.*

In Badensibus Thermis fons est aquæ adedò calidæ, vt in ea animalia facilè depilentur: quod tamen non contingit, si hæc animalia furto sublata fuerint, sic *Vadianus in lib. 3. Pomponij Mele.*

Ad Memmingam fluuiolus *Bach*, aliis fluuiis concretis nunquam congelatur. *Indigenæ omnes.*

§. 6. *In Bauaria.*

IN Bauaria fons est in loco dicto *Degernsee*, ex quo quotidie guttæ olei decerpuntur. Putant periti esse Bitumen liquidum,



quod vulgò Petroleum dicimus. *Philander in notis ad 8. l. Vitruuij.*

Regnitijs fluius cùm in Danubium cadit subruber videtur. *Cæsius lib. 1. de Min.*

Ifara fluius vbique cæruleus apparet. *Idem, loco laudato.*

Ilza fluius in Danubium nigras omninò aquas ex montibus Bohæmicis deportat. *Idem Cæsius.*

### §. 7. In Regionibus hæreditariis.

IN Danubio ad Austriam capitur ingens piscis, ideóque dictus *Hausen*, hoc est *domus*, sine vlla spinâ. *Auctor lib. de Reb. & Imperiis.*

In Palude Lugeâ, nunc Circoniensi (vulgò *Zirknitz*, seu *Czirknick* in Carniola) res mira quotannis contingit: ea Palus sub finem Autumnii impletur aquis, tunc ex terra magno impetu exiientibus, ac deinceps piscibus abundat. Sed primo vere aqua illa euanescit, & exsiccat, solum aratur, semina iaciuntur cum magno prouentu. Capitur autem in eo lacu piscium ingens copia, & Lucij duorum cubitorum, qui dubio procul in voraginibus illis delitescunt, neque enim tam citò possent crescere. *Quot indigenæ totidem testes. Georg. V. vernherus de aquis mirab. Hungaria.*

### §. 8. In Regno Bohemiæ.

AD urbem Oegram *Eger*, acidi fontes multis morbis salubres, quare ad eas ex tota Bohemiâ, & Palatinatu Bauarico decurritur. *Paulus Stranskius.*

Non procul ab urbe Oegræ fons acidus, dictus Aqua furiosa, qui ebullit cum tanto fremitu, vt tonitru in terræ visceribus fremere videatur. *Cæsius lib. 2. de Mineralibus.*

In Silesia iuxta montem *Risenberg*, duo lacus vicini aquæ subnigræ, in quorum vno neque pisces, neque vllum animal viuere potest, cùm in alio multæ Troctæ subnigræ capiantur exquisitissimi saporis. *Nicolaus Henelius.*

In Ducatu Lignitio terra eiusdem omnino cum Lemniaca virtutis. *Idem Henelius.*

In Syluis Saxonix (Silesiæ dicere voluit) versùs Daciam duo capta sunt môstra ante nostra tempora (sic loquitur auctor) pilosa, humanam habentia formam; fæmina morsibus canum perit, mas